

*Refutatio quorundam ob-
jectorum.*

CAP. IX.

QVando quidem eorum quidam, qui de li-
enis usu accuratius cogitarunt, viderunt
quidem, lienem ducere aquam, aquosum vè
chylum; videre autem noluerunt, lienem
cum aqua multum cœni, sordiumque allicere,
quod est, Talem chylum trahere, qualem jam
monstravi: operæ precium fuit visum, ante-
quam ulterius eatur, removere obstacula
illa.

Quantum autem intelligo, duo sunt, quæ
morantur illos. 1. Metus obturationis, 2. Te-
nuitas vasorum. Sed inane est utrumque.

Videntur enim sibi imaginari chyli partes,
quas ego cum antiquioribus dico terrestres,
esse saxum quoddam ingens, cui volvendo o-
pus sit Sisypho: quin bovem Tarentinum, aut
bonasum, qui non feliciter ingrediatur per fo-
res cuniculi, quam funis nauticus, quem *κά-
μιλον* (non *κάμηλον*) Græci appellant, per
foramen acus. At cogitare debebant, Id
quod in chylo terrestre est, esse id, quod in a-
limento terrestre erat. Terra verò in mistu-
ra a-

ra a-